

borant, debent manè assumere frustum panis illitum copioso butyro, ut temperetur acidum corrosivum fumorum ab unctuosa pinguedine butyri, quo minus possit inducere noxas corrodendo partes.

CASEUS sequitur 3. pars lactis, qui meritò ex culinis debet exulare, cum pessimè nutriat partes: (de hujus nequitia seu malitia peculiarem scripsit Tr. IOHANN. PETR. LOTICHIVS elegantem satis) Nam interno usu homines disponit ad infarctum viscerum, arthritidem & nephritidem: Externè vero caseus vetustus contra podagram valdè commendatur, si illinatur parti ex Podagra dolenti, idque jam ab experientia GALENI notum est, imprimis in podagra nodosa: Nam successu temporis caseus vetustus instar pomi putridi acquirit vim absorbendi & temperandi acidum, unde facile patet, quare compescat podagricum dolorem. *Vlterius Lac* in genere, quoniam est anodynum, convenit in doloribus scorbuticis oriundis à \ominus scorbutico: In dolore atrocissimo abdominis ex acido Clysteres ex lacte utramque faciunt paginam, in arthritide v. gr. Clyster ex lacte mirè convenit: Externè in colica scorbutica, cataplasma ex floribus sambuci & herba hyoscyemi coctis in lacte mirè commendatur, si insternatur abdomini. *Fomenta* ex lacte in dolore partium scorbutico mirè profunt, & non satis possunt commendari.

PRIAPUS tauri sequitur, qui tam in pulv. ad \mathfrak{z} j. assumtus, quam decoctum ex rasura assumtum specificum est certum in cura dysenteriae, uti etiam in cura pleuritidis, quos affectus certò curat, estque unum ex secretis antipleuriticis HELMONTII.

BUBULUS. der Büffel.

A Nimal est sylvestre: Hic repetenda quæ dixi de differentia sylvestrium & domesticorum; adeò ut quæ dicta sunt de bove, intelligenda quoque veniant de Bubulo, in gradu tamen excellentiori, quoniam in usu medico sylvestria sunt domesticis meliora.

BUFO.

A Nimal est satis notum, uti ex antipathia, quam fovet cum arcanea, satis cognita, contra quam se munit usu plantaginis: de quo plura sub plantagine sunt, qui volunt, quod lapis BUTTLERI præparatur ex araneis & bufonibus, quod tamen est ridiculum. Ipsi bufones irritati solent habere aliquod venenum, & modum intoxicandi cibos per \ominus veneno Bufonum infectum docet DETOATVS in *valerudinario* pag. 29. Huic veneno bufonum medentur cancri fluviatiles, saliva humana, C. C. terra sigillata, smaragdus & in specie flores vitis, cum his enim ingentem inimicitiam gerunt bufones, uti superius dixi, ubi de vite. Nihilominus bufones interno & externo usu multum faciunt in medicina. Ut certiore præsent effectum, colligendi sunt tempore balsamico in

Julio, ubi maximo æstu squalent agri, vid. HELMONT. de hac in *tumulo pestis*, FABER & KIRCHERVS in *scrutinio pestis*. *Vsum* quod atinet internum, exsiccantur, pulverifantur ac propinantur internè pro *cienda urina*: \ominus nempe vol. bufonum est egregium diureticum: Unde & pulvis bufonum propinatus sollet iis, qui laborant *ascite*, per urinas enim expellit aquas, cujus experientia prima facta est casu: de quo vid. in *Cent. 1. Epist.* HILDANI *Epist.* 69. pag. 108. & hic pulvis bufonum fuit secretum KUPERI in cura hydropis ascitis, qui \mathfrak{z} . bufones exsiccant in umbra, abscindit capita, & exemit intestina, reliquum rededit in pulverem subtilissimum, de quo pulvere gr. x. vel xv. cum totidem sacchari patienti propinavit, & mirabilem exinde habuit effectum, dari potest tribus vel 4. vicibus, ita tamen, ut 3. vel 4. dies post assumptionem unâ vice intercedant, potens enim est remedium. Sunt qui \mathfrak{z} . bufones vivos, eosque extinguunt in spiritu vini, vel vino Malvatico, postea eximunt, in totos in retortam immittunt, & per gradus Δ aperto pellunt \ominus vol. egregium sudoriferum & diureticum. *Spiritus* verò vini vel vinum, quo extincti fuerint bufones, est expertissimum & egregium alexipharmacum internè haustum. Externè bufones mira præstant in peste, adeo ut utrumque pestis curatio & præservatio certò sit in bufonibus, unde non satis commendantur, & propterea pulverifatum commendat AUCTOR. Sic Trochisci ex vermibus, quos suspensi bufones evomunt, unâ cum pulvere bufonum certum sunt AMULETUM ad præservandum pro peste, de quo vid. HELMONT. in *tr. tumulus pestis*, & KIRCHERVS in *scrutinio pestis*, ubi lectu dignissima inveniuntur de bufone. Integrum bufonem appendi posse pro amuleto in peste, vid. ZVVOELFER. in *pharmacop. Reg.* pag. 140. Item *bufonibus* pestilentialibus optimè applicantur bufones, omne enim venenum certò extrahunt, & ita agrum curant. *Præparandi modus* bufones ac tales applicandi pro *bufonibus* videri potest in HILDANI *supra cit. loc.* OSSICULUM BRACHII bufonis applicatum externè curat odontalgiam experientia HELMONTII & HEVRNII: Discrepant tamen, ex quo pede sit desumendum. Propinatum internè ossiculum brachii bufonis mira facit in Epilepsia. In Epilepsia infantum contracta ex terrore & iracundia matris lactantis infantem, idein ossiculum brachii bufonis applicatum pultui infantum, miracula præstat in sedanda eadem Epilepsia. Eodem modo applicatum pultui, *intermittentem febrem* in virgine nobili aliquando fugavit. Bufo extrinsecus appensus, vel in scorbiculo cordis, vel ad motus axillis, vel saltim detentus in manu, quamcunque hæmorrhagiam, sive sit narium, sive uteri mensium vel lochiorum &c. quam certissimè sistit & curat. Imò sit non rarò, ut in partu ex inepta tractatione obstetricis laceretur vesica puerperæ, ut non possit post partum continere urinam, & perpetuò madeat. In tali casu pulvis bufonum, vel exsiccatorum vel calcinatorum,